

DE SIGNIFICATIONE PLANETARVM

suo magisterio, & somnia eius erunt uera, Sed dat animum abhorrentem à conu-
gio.

Mercurius, significat bonitatem fidei, & contemplationem diuinæ Trinitatis, admirabitur de iustitia Dei, & de admiranda sapientia operum ipsius. Erit mercator in terris longinquis, sapius cogitabit de Deo, de Angelis, & spiritibus. Idem significat disciplinam, sapientiam, Astronomiam, laudem à notis, dat multa itinera, & facit honoratos in illis, dat magnum lucrum, & utilitatem, & maximè cum Ioue, & Venere, erit laudatus ab omnibus, erit doctus in Astrologia, & omni Mathematica, & in rebus ecclesiæ habebit bonam fortunam.

Luna multiplicat somnia, & longa itinera, malas cogitationes, mutationem per regiones, & depositionem regni, delectabitur in rebus uarijs, & diuersis malis cogitationibus, peregrinabitur per mundum, aliquando priuabitur sua dignitate. Et si nona fuerit domus Mercurij, erit magnus Astrologus. Si fuerit domus Venere, delectabitur in musica. Si fuerit domus Martis, delectabitur in armis, & agricultura. Si fuerit domus Saturni, erit Alchimista, Si domus Iouis, erit magnus in religione. Si fuerit domus Solis, habebit scientiam, & providentiam de animalibus quadrupedibus. Si fuerit in Cancro domus hæc non habebit scientiam de omni re aquatica.

Caput, facit deuotos & Prælatos, in suis operibus fortunatos, in profectibus acquirunt famam honorem, & lucrum, sed erunt infortunati in fratribus, & sororibus, somnia eorum erunt uera.

Cauda, facit uolubilem in fide, & deuotum, infortunatum in itineribus longis, & in suo exercitio.

De decima domo.

Saturnus in decima domo, non in domicilio, uel exaltatione sua, significat infortunium, & malam prosperitatem in officijs & dignitatibus nati, mater eius morietur subito, erit de uili conditione, parū honoris habebit & dignitatis, tenebitur diu in carceribus, causa magnorum uirorum. Si decima fuerit Leo, & fuerit Sol, uel Luna in ea, morietur in carcere, morte condemnatus. Si Iuppiter fuerit dñs decimæ, occidetur sine culpa sua. Si Mars fuerit dñs decimæ, morietur ex culpa sua. Si Mercurius fuerit dominus decimæ, morietur per falsum testimonium cum magna infamia, & si Venus aspexerit, aut fuerit cum Marte, cedetur uirgis, & torquebitur, & erit condemnatus ad mortem. Si Saturnus fuerit ibi, in domicilio, uel exaltatione sua dat dignitates, & honores, & mater eius erit honorata.

Iuppiter, significat magnitudinem honoris & dignitatum, & Prælaturam, erit iustus rector, seu gubernator, dat maximos honores & dignitates, specialiter in rebus ecclesiasticis, erit honoratus in suo magisterio.

Mars non in exaltatione, uel domicilio suo, facit hominem uilem, & spretum, iniustum, callidum in causis iudiciorum, & dat flagella, & pericula, paupertates, malum finem, & inimicitias omnium suorum consanguineorum, etiam patris, & matris. Si uero ibi fuerit in domicilio, uel exaltatione sua, facit hominem ualidum in armis, habebit etiam bonam fortunam in armis, stipendium in bello extra patriam suam, faciet multas rixas & lites, de rebus quæ non pertinent ad ipsum, significat hominem fastuosum, arrogantem, cum deiectione honoris, & dignitatis.

Sol, significat statum nati multum honorabilem, & magnæ dignitatis, attinget officia magna, & prælaturas, erit rector in populo, imperabit pluribus. Si fuerit in